

Europâ es, qui solidè tractas Rem herbariam et
obseuras anteâ, ab orbe condito, illustras plantas,
dùmque alii Botanici dormiunt, tu solus vigilas.
Horreant profectò omnes nostrates, qui audiverunt
te non nisi 600 libris stipendio frui, quem tamen
omnes agnoscimus esse Summum Medicum, inter
omnes hodiè in Europâ Professores Primum à
morte Boerhaavi, et Botanicum consummatissi-
mum, expulsum à cathedrâ Botanicâ, inque tuum
locum juvenem adoptatum! Si Reaumurium et te
omittant Galli, certè tenebræ vestram regionem
non minùs obsecurabunt quâm ullam hodiè aliam,
et serò dolebunt quæ restitui nequeunt. O bone
Deus! si verum est, uti in æternum verum erit,
quod medicina innitatur duobus pedibus, cogni-
tione morborum et medicamentorum; si etiam
verum est, quod ipsa invidia concedat, quod tu
solus morborum cognitionem primus denudâsti,
utique, et tibi soli debetur alterum fundamentum
medicinæ: si enim cognitione medicamentorum
innitatur cognitione plantarum, à quâ prima et
præstantissima medicamina desumuntur, et si tibi
debeam ego et omnes, rariorum plantarum Galli-
carum cognitionem, utique et in his magnus eris!
Sed nullus propheta in patriâ. *Felice's agricolæ,*
bona si sua nôrint!

Ardentissimè exopto videre Acta Parisina et in